

2801

2801

Q. D. F. V.

SAECULARIS MEMORIA,
EAQUE SECUNDA
REFORMATIONIS
RELIGIOSAE,

QUAM ZITTAVIA
SOLENNITATE PUBLICA
IN TEMPLIS DIE II. NOVEMBR. A. O. R. clō lccc XXI.
CELEBRAVIT,

IN PRIMO GYMNASII AUDITORIO
CONTINUABITUR
DIE IV. NOVEMBR.

ORATIONE JOBELAEA
DE

HISTORIA SCHOLAE,
QUAM FACIEM HABUERIT
ANTE REFORMATIONEM,
ET QUAM POST REFORMATIONEM
ACCEPERIT.

AD QUAM BENEVOLE AUDIENDAM
SPLENDIDISSIMOS

CURIAE PROCERES,
VENERANDOS VERBI DIVINI
PRAECONES,

OMNESQUE REI LITERARIAE
PATRONOS, FAUTORES ET AMICOS
HUMANITER ET OFFICIOSE
INVITAT

M. Adam Erdmann MIRUS,
GYMN. ZITT. CON-RECT.

ZITTAVIAE, STANNO MICHAELIS HARTMANNI,

Hist. Sax. eccl. 750.

Hist. Saxon.
H.

749,00

1721



Edditae sunt quondam per singularem DEI gratiam literae bonae cum aliis terris, tum potissimum Germaniae, cum longam satis ac pene supremam habuissent noctem. Postquam enim anno reparatae salutis supra millesimum quadringentesimum quinquagesimo tertio, expugnata à Muhammede II. Constantinopoli, vis & crudelitas victoris per omnes aetates atque ordines immaniter grassabatur; Theodorus Gaza, Gregorius Trapezuntius, alique multi, relicta Graecia, in Italiam se contulerunt, cultumque literarum, injuria temporum collapsum, erigere coeperunt. Nec lumen elegantioris doctrinae in angustiis Italiae terminis retineri potuit; sed modo in Galliam, modo in Germaniam, modo in alias terras penetravit. Excitavit divina clementia in Germania cum alios, tum potissimum Johannem Reuchlinum, Erasmus Roterodamum, Johannem Tritheimium, Rudolphum Agricolum, Marsilium ab Ingen, & Albertum Cranzium, qui in instaurando literarum cultu omnem adhibuerunt industriam. Mox alii mutua velut aemulatione accensi, nihil in se industriae desiderari passi sunt, quod ad augendas propagandasque bonas artes atque scientias pertinebat. Equidem non inficias iverim, Carolum M. suo jam tempore summam navasse operam, ut Germania bonis literis imbueretur. Sicut enim princeps fuit & religiosus & literarum amantissimus: sic cathedralibus templis (quae multis in locis Germaniae exerat) scholas & Canonicorum collegia adjunxit, ut studiosa juvenus cum in aliis, tum potissimum in sacris studiis quam optime institueretur, atque sic ad sacra officia administranda praepararetur. Sed quae ab optimo Principe saluberrime constituta sunt; sinistro temporum cursu miserrime dilabebantur. Inciderunt Germaniae Principes in bella feralia, quae nihil commercii cum bonis literis habere sinunt, sed juventutem ad castra sequenda vi rapiunt. Excitavit Praesul Romanus inter Principes Germaniae odia gravissima, ut incautiores in sua veluti viscera saevirent, & terras integras mutuis caedibus, rapinis atque incendiis exhaurirent. Nec defuerunt bella externa. Vel solum sacrum bellum contra Saracenos gestum, urgente Romana curia, tanta crudelitate continuatum est, ut totius ferme Germaniae nobilitas in eo periret. In tali rerum statu Canonici sive ex incuria nimia, sive auditorum defectu in oblato informandi officio modo lassiores facti sunt, modo munus illud ab humeris omnino abjecerunt. Viam denique planam Scholastici ad barbariem summam aperuerunt. Cum enim hi in Theologia scholastica propaganda essent occupatissimi; miseris notitia defuit melioris literaturae, nempe linguarum & antiquitatis. Hinc Theologiam pariter & Philosophiam contaminarunt, dum illam huic conciliare studuerunt pertinacissimo labore, eoque majorem caliginem rei literariae intulerunt, quo plura & majora doctrinae mysteria jactitarunt. Parum etiam abfuit, quin bonae artes & scientiae perpetuam eclipsin essent passae. Sed ex quo literae elegantiores iterum in lucem protractae sunt; omnes ad eas veluti ad orientem solem mentis oculos convertere coeperunt. Neglectis Scholasticorum tricis inutilibus, excolere coeperunt artes ab humanitate appellatas; protraxerunt ex scriniis codices manu exaratos, omnisque generis Scriptores exscribi prelo curarunt, nihilque intermiserunt, quod ad augendas propagandasque bonas artes & scientias pertinuit. Nec Reges & Principes viris de republica literaria bene meritis defuerunt; sed variis praemiis propositis, illorum industriam accenderunt. Animadvertentes enim, quantum utilitatis haberent bonae literae in ecclesia DEI a fordibus Romanensium repurganda; quantumque in republica prudenter gubernanda servandaque; erigi curarunt multis in locis scholas novas, multiplicarunt Academias, easque pro ratione illius

tem-

temporis magnis ditarunt redivibus. Nec intermiserunt privati facultates suas causis piis destinare, & erudiendae juventuti consecrare. Cumque his beneficiis viri celebres allekti, vires ingenii explicare possent; dici vix potest, quanta animorum cupiditate rem literariam auxerint, & quanta celeritate literas elegantiores per universam Germaniam disseminaverint. Nec aliae nationes segniores fuerunt in gloria literarum propaganda; sed omnem adhibuerunt industriam, ut Germanos vel aequarent, vel omnino superarent. Aluit Italia viros in politiore literatura celeberrimos, & in hanc usque diem plures aleret, nisi in traditiones superstitiosas proni & veluti dementati, a solidiore doctrina avocarentur. Gallia cum aliis temporibus, tum potissimum sub Ludovico XIV. ita emergere coepit, ut nulla neque ars neque scientia nominari possit, quae non Regis tanti munificentia ad summum fastigium perducta esse videatur. Hispani & Angli multis abhinc temporibus bona studia in deliciis habuerunt, atq; in illis non solum continuandis, sed etiam augendis nihil operae intermiserunt. Batavia foecundissima mater elegantiorum studiorum fuit, nullisque sumptibus in hunc usque diem percipit in illis augendis. Maximam adhuc laudem esse putat, si in viris eruditis fovendis alias nationes vel superare, vel ad parem voluntatem trahere potest. Praeterea, quomodo Regna Septentrionalia cultum literarum a majoribus sapienter erectum, felici velut traduce summaq; cum cura augeant, virosq; eruditos non sine praemiis ad se alliciant. Ipsa Russia, inculta quondam barbarie vasta, permutato velut gentis habitu, molliores mores induit, literisque bonis se applicat, jubente Magno eorum Duce, studiorum bonorum admiratore maximo. Sicut autem haec literarum gloria multas terras ad maximam celebritatem adduxit: sic nostram quoque Lusatiam summae hujus felicitatis participem fecit. Sive enim oculos convertamus ad statum Ecclesiasticum, sive Politicum; omnibus in locis viros habemus auctoritate graves, eruditione raros, prudentia incredibiles, & in bono publico promovendo faciles atque expeditos. Nec desunt scholae bene constitutae, Ecclesiae DEI Reique publicae foecunda seminaria. Equidem, si repetimus tempus duobus abhinc saeculis; tam miseram & afflictam rei literariae conditionem invenimus, ut eam vix umbram hodiernae felicitatis habuisse dixeris. Penuria virorum doctorum plerisque in locis maxima fuit; scholae literarum officinae vel raras vel omnino nullas. Non quidem ignoro, scholae Zittaviensis jam mentionem fieri in fastis anno 1310. ubi Magnifici Patres Curiae aream aliquam scholae vicinam dicuntur Crucigeris Melitensibus tradidisse. Anno deinde 1366. Monachi Coelestini, quibus Carolus IV. petram Oybinensem concesserat, advocatos ad se scholae pueros mendicantes in Patrum aulam seu domum Paracleti, convivio excepisse, aliisque donis instructos remisisse dicuntur. Mentio deinde scholae fit anno 1422. ubi in platea Textorum obortum infeliciter incendium non solum multas civium aedes in tristes cineres redegit, verum etiam templi Parochialis, scholaeque tecta ruinae tradidit. Sed quae facies scholae eo tempore fuerit, & quos doctores habuerit; nemo facile dixerit. Forsan maximam profectuum gloriam habuerunt, qui canendo suis adesse magistris, & in choralis Musica aliqualem testari industriam potuerunt. Nec est, ut dicas, Zittaviam illis temporibus ex schola emisisse viros doctissimos. Nominat quidem Abrahamus Hoffmannus, Laubanensis, Historicus Caesareus in Opusculo quodam Historico duos Zittanos, Fridericum Archiepiscopum Salisburgensem, & Antonium, Monasterii Bruccensis Abbatem in Moravia; sed non constat, utrum profectus primos debuerint scholae patriae, an ex aliis scholis artes juvenili aetate dignas in Academiam attulerint. Si provocas ad Heidenreichium, primum doctrinae Evangelicae apud nos praeconem; tantum abest, ut
pie

pietatis & bonarum artium fundamenta patriae scholae attribuere velimus, ut potius scholae Cygneensi illam laudem adscribere cum eo cogamur. Sed ex quo ducentis abhinc annis lux Evangelicae doctrinae Lusatiam implere coepit; etiam de scholis in meliorem statum redigendis cogitatum est. Budissinenses scholae erectae praeposuerunt M. Joachimum Cneandrum Rectorem. Görlicenses Rectorem coluerunt M. Christophorum Masium, Argentoratensem, qui doctrinae pariter & disciplinae summam publico scripto primus edidit. Zittavia Andre- am Mascum coluit. Aliae civitates alios viros, eosque doctissimos in amplexi- bus habuerunt. Omnes conjunctis animis oblato mūneri ita satisfecerunt, ut non solum indigenas in humanioribus literis quam solidissime instituerent; ve- rum etiam advenas plures variis ex locis allicerent. Tandem excreverunt scho- lae quaedam in integra Gymnasia. Prima quidem gloria debetur Görlicensibus, qui anno 1565. Gymnasium magna cum solennitate introduxerunt, & Petro Vin- centio, Rectori gubernacula illius commiserunt. Aperuit deinde Gymnasium Zittavia 1586. novoque Rectori M. Casparo Janitio septem adjunxit Collegas, a quo tempore octonarius docentium numerus in hunc usque diem retentus est. Nec reliquae civitates quid intermiserunt operae, ut scholis oppidanis nitidiorē faciem induerent. Omnes divina benignitas hactenus in exoptato flore serva- vit, atque, ut servet serae posteritati, humillimis precibus contendimus. Dum igitur felix Zittavia celebrat Jobelaeum a repurgata per B. Heidenreichium Ec- clesia secundum: non immerito recordamur scholas, officinas Spiritus S. reique literariae valida adminicula. Omnia enim debet Lusatia scholis, quae sive in fo- ro, sive in choro, sive in thoro ex animi sententia successisse videt, quaeque ter- ram patriam maximis cumularunt laudibus. Et quoniam saecularis memoria redditae religionis verae, Gymnasium nostrum tridua festivitate celebrat; ex mandato Magnificorum Curiae Patrum, quorum auctoritatem obsequio debito veneror atque colo, sistam Auditoribus honoratissimis balbutiendo magis, quam dicendo Historiam Scholae & institutionis juvenum, ostenturus, qualem faciem habuerit ante reformationem, & quam post eam acceperit, atque in hunc usq; di- em retinuerit. Dum vero hoc facio, **MAGNIFICOS CURIAE PROCERES, VENERANDOS VERBI DIVINI PRAECONES, OMNESQUE REI LITE- RARIAE AESTIMATORES** humillimis precibus oro & obsecro, velint hono- rifica sua praesentia actum hunc ab octava ante meridiem hora reddere illustriorem, Divino munere contigit, nec sine felicitatis omine, quod majores nostri centum abhinc annis, ubi memoriam saecularem repurgatae Ecclesiae meditabantur, Jo- hannem Georgium I. Electorem Saxoniae haberent praesentem; nos in anno Jo- belaeo secundo illustri praesentia **FRIDRICI AUGUSTI**, Regis Polonorum & Electoris Saxoniae, clementissimi nostri Domini dignati sumus. **VOS** vero **PATRONI, FAUTORES & AMICI**, qui hanc solennitatem incepistis in Tem- plo; perficite quoque illam in Gymnasio, atque vota praecesq; mecum persolvite, velit **DEUS** benignissimus nobis seraeque poste- ritati illam virtutis officinam conservare.

P. P. Dom, XXI. Trin, A. R. S. M DCC XXI.

